1

Cupientes aliquid de

penuria ac tenuitate. Circa prologum huius primi libri sen-
tentiarum queruntur quinque. Primum est de necessitate huius
doctrine et spectat ad genus cause efficientis. Et est questio Utrum
necessarium sit homini pro statu isto aliquam doctrinam specialem supernaturaliter
inspirari. Secundum spectat ad genus cause formalis et est questio
Utrum cognitio supernaturalis necessaria viatori tradita sit sufficienter in
sacra scriptura. Tertium spectat ad genus cause materialis et est
questio. Utrum theologia sit de deo tanquam de subiecto primo. Quartum
et quintum pertinent ad genus cause finalis. Et est quarta questio.
Utrum theologia sit practica. Quinta vero questio Utrum per se ordinetur
ad praxim vel ad finem dicatur propter quod sit scientia practica.

Primo queritur Utrum homini pro

statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari
ad quam videlicet non possit attingere lumine naturali intellectus. Et videtur quod
non sit. Omnis potentia habens aliquod quod est primo obiectum naturale sicut in quod-
libet contentum sub illo sicut in quod est obiectum naturale. Hec patet per exemplum
de primo obiecto visus et aliis contentis sub illo. Et ita inducitur
in aliis obiectis primis et potentiis. Patet etiam per rationem quia primum
obiectum dicitur quod est adequatum potentie: sed si in aliquo esset ratio
eius circa quod non posset potentia habere actum naturaliter non esset potentie adequatum
sed excederet potentiam. Patet igitur antecedens. Sed primum obiectum intellectus nostri naturale est
ens in quantum ens. ergo intellectus noster potest naturaliter habere actum circa quodcumque
ens et sic circa quodcumque intelligibile. extra circa non ens. quia nega-
tio cognoscitur per affirmationem ergo etc. Probatio minoris. Avicenna. primo methaphysice
c. v. Ens et res prima impressione imprimuntur in anima. nec possunt
manifestari ex aliis. Si autem esset aliquid aliud ab istis primum
obiectum. ista possent manifestari per rationem illius. sed hoc est impossibile. ergo.
Preterea. sensus non indiget aliqua cognitione supernaturali pro isto
statu. ergo neque intellectus. antecedens patet. Probatio consequentie. Natura non deficit in
necessariis. 3 de anima. et si in imperfectis non deficit. multo